M I M

1 6 4 8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-578608-p0001-5

~~E. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pædagogii
Regii Glauchensi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-578608-p0002-1

# IN HONOREM NUPTIARUM

VIRI

*Clariſſimi, eximiâ eruditione & in agendis cauſis dexteritate atq; ſolertiâ Præſtantiſſimi,*

# DN. JOANNIS NEANDRI

FRANCOF. MARCH. J. U. C. ET IN DICASTERIO ELECTORALI CUSTRINENSI ADVOCATI ORDINARII,

CUM

Lectiſſimâ Pudiciſſimâq; Virgine,

## EVA-CATHARINA COLASIA,

VIRI

*Spectabilis, Ampliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi,*

## DN. LAURENTII COLASII

J. U. D. Eminentiſſimi, Sereniſſimi, & Potentiſſimi Electoris Brandeb. ut & Reverendiſſ. & Perilluſtris Comitis à Schwartzenberg / laudatiſsimi ordinis Eqq. Joannitarum Magiſtri, &c. Conſiliarij, Academiæ Francof. Profeſſoris P. Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ Ordinarij & p. t.

DECANI

FILIA CHARISSIMA,

Francof. March.

15. KL. Decemb. Anno 1634.

celebratarum

VOTIVA

Cognatorum & Amicorum

CARMINA

---

Literis MICHAELIS KOCHII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-578608-p0003-6

# JOANNI NEANDRO,
## FILIO SUO CARISSIMO
## SPONSO.

*COnjugium opto tibi, Fili cariſsime, concors:*
*Quale tuâ cum matre mihi fuit hactenus, ipſa*
*Luſtra novem. nam ex quo mihi tempore tradita*
*ad aram eſt!*
*Jurgia nulla unquam inter nos diuturna fuêre,*
*Nec Sol mundi oculus noſtram ſuper occidit iram.*
*Cauſa fuit, quod mens nempe una, eademq́ voluntas*
*Ambobus ſemper fuit: & ſua munia uterq́*
*Clamoſo alterius ſine murmure ritè peregit.*
*Quod ſi conſilium fueris, mi Nate, ſequutus:*
*Conjugium tibi erit blandum, jucundaq́ junges*
*Fœdera: ſuccedent quoq́ res feliciter omnes*
*Inq́ domo, inq́ foro, verboq́ ut dixerim, ubiq́.*
Res etenim parvæ creſcunt concordiâ, at amplæ
Dilabuntur, ubi lis & diſcordia regnant.
*Proſper eris rerum, Dominum ſi pectore quæres*
*Toto, atq́ ipſius verbum reverenter habebis.*
*Quod te facturum ſpero: tamen oro paternè*
*Ut facias: nec jam plura aut majora rogare*
*Te volo: nec poſſum tibi plus majusq́ vovere.*

M. CHRISTOPH. NEANDER.

Ἤτοι

Ἤτοι γαμβρὲ γάμῳ ἐπικλυτὲ πάρειμι ΝΕΑΝΔΡΕ,
Σώματ' ἐμῷ τηλοῦ καίπερ ἄπειμι, πόθῳ·
Ἤτοι μὴ μοῦνον, μέλει οὐτιδανῷ τε, καὶ εὐχῇ,
Εὔχεται γαμβροῖς λῷστα ἅπαντα νέοις·
Τῷ θαλάμῳ ὁ παρέστω Ερως, Ἔρις ἀλλά τ' ἀπέστω,
Ἠθ' Ἥρη ἀλκὴν παμβασίλεια φέρε·
Ὡς παῖδας, παῖδας παίδων ὄψηαι τε γεγαώτων
Ἡσυχίως θνήσκῃ ἀμφότερος τε γέρων.

PEctore ſum præſens tædis, præclare NEANDER,
Corpore quantumvis cogar abeſſe, tuis:
Pectore non tantum, tenui ſed carmine, voto
Ardenti, ut SPONSIS optima quæq; precer.
Adſit *Eros*, procul abſit *Eris* de limine veſtro,
Auxilium SPONSÆ *Juno* vocata ferat,
Et videat natos, & qui naſcentur ab illis,
Extremumq; ſenex claudat uterq; diem.

ELIAS REEWALDT U. J. D.
Academiæ Francofurtanæ Synd.

---

Ξὺν παλάμῃφι Θεοῦ.

*COnnubij ſacrata jugo par ſubdit amantûm*
*Colla, & diverſas molitur cogere noctes:*
*Ilicet hinc frontem ſeptemplice findere ſulco*
*Ira celer, pallorq; catus non-læta tuentes*
*Exhaurire genas, hinc deteſtabile vulgus*
*Curarum; fauſta orſa orſis attexere fauſtis*
*Fert animus, feſtinaq; voti affundere gaudia.*
*Ergo novas vires, atq; exhilarabile carmen*
*Pimplæo de fonte mihi, crenamq; miniſtra*

*Degenerem mœroris, Amor Muſeie, Apollo.*

*Nox erat, & per humum requies animata fovebat,*
*Atq; locis diſpanſa ſilens erat omnibus umbra:*
*Cùm mihi olorino Cypris alma temone cubanti*
*Vecta videbatur, præibat amoriferorum*
*Telorum promus, veſtigia ponè premebat*
*Gratia trina rotæ: quarum una Euterpe, amate*
*O vir, fari ore infit, ades, comitemq; reluctans*
*Somno junge gradum: Notus Neos-ander, & ardor*
*Notus, & ad thalamum properans lectiſsima Virgo.*
*Excutior ſomno, flumen ſudoris ad imos*
*Fluctuat usq; pedes: Lethæo tempora ramo*
*Mî Morpheus mulcet, riguamq; in membra quietem*
*Rejcit, & extemplò ciliis cerebroq; jacentis*
*MercurI formam infundit: ceu roſcida Phœbæ*
*Cùm penetrat clauſas nocturnâ luce feneſtras.*
*Nuncius ille Deûm ſic ore profatur: An iſto*
*Defixus lecto, totum te dedere ſomno*
*Pronus es? ab requie hac emergere protinus: almus*
*Te divûmq; hominumq; Pater, rerumq; repertor*
*Pangere vota jubet, dum conjuga vincula amantûm*
*Par nectunt. Pietas & Juſti conſcia Virtus*
*Sic etiam voluêre: morarum deſine, & Alti*
*Conſilij mandata actu refer. Hiſce peractis,*
*In auras abijt. Morpheus, quà porta pateſcit*
*Cornea, tranſvolitat, quem Umbra, Umbræ moxq; ſoro-*
*Et ſopor, & Requies comitantur. Protinus ipſe (res,*

*omnum eluctatus, ſtratoq́; emerſus, amicis*
*Mira fibris animi depromo oracula ſomni.*
*Mentio fit cornu tranſibilis: unde probatur*
*Veriloquum ſomnios. Dum ergò ευχαελέσατε bellam*
*Ducis in amplexus, in ſtrataq́; nupta puellam,*
*Votorum fas eſt libamina promere mente:*
*Sic Pietas, ſic Jura jubent, cœliq́; Guberna.*
*Conjuga felici det Rex detexere ductu*
*Feſta novis Sponſis, Rex ætheris, ætheris alti:*
*Omnia ſint ſecura mali: non nubila lucem*
*Turpent; deturpet lux nubila, nubila luci*
*Hactenus inſidiata: torus lateſcat abundè*
*Unica pax; Bica pax, & multæ conſcia prolis*
*Fiat, & annoſâ ſic tempeſtate vireſcat.*
*Utq́; dies Elaphus juvenili robore longos*
*Pollet, & ad ſeros vitali veſcitur annos*
*Aërepiſio caveat veſtras accidere vires*
*Canities, vitalia ſerò Mortaq́; fila.*

Aliud ad Dnn. SPONSUM.

BEllus amas bellam non belli tempore belli;
Bella tamen bellæ bella ciere cupis.
Bellus amaror amor: debellat bella rebellis
Bella pudicitiæ bellus amaror amor.

Talia ex Pimplæo fonte hauſta
in gratiam novell. Sponſ.
affundebat
THEMOCRITES BASILIUS.

GErmane frater, dum tori
Subis jugalis vincula:
Quævis tibi precor bona,
Et cuncta deprecor mala.
Si *gratiosè* vixeris
*Purißimâ* cum compare,
Compos eris ſummi boni
Hoc in, futuro & ſeculo.

SAMUEL NEANDER REIP.
Luccanæ in infer. Luſat. Syndicus.

---

QUo te carmine demerebor? aut quo
Lætus commemorem, vehamq; verſu
JOHANNES mihi plurimum colende
Te, tàm divite præditum Minerva,
Dum blandam CATHARAM toro capeſſis?
En ſcripto tibi gratulantur ultrò
Grandi, ſed tenui meo Phaleuco
Hoc verſu tibi gratulor, precorq;
Ut lætum tibi ſit jugale fœdus,
Ut te dirigat autor, & creator
Auguſtos tibi conferens honores,
Et te prole venuſtulâ maritum
Ut reddat CATHARINA fida conjux,
Ut te laus operoſa conſequatur
Et te fama frequentiore plauſu
Divulget, precor hoc meo Phaleuco.

*Amoris & benevolentiæ*
*ergò ſcribebat*

CHRISTOPHORUS DAMEROVIUS
Dicaſterij Neo-Marchici Protonotarius
in fortalitio Cuſtrinenſi.

*Quos thalamo nitidem verſus, præclare* NEANDER!
*Quàm mea nunc grato carmine vena fluat?*
*Parca Thalia mihi dulces negat usq; fluores,*
*Ingenio nectunt tempora curta moras.*
*Attamen Affectus ut craſſo pingere ductu*
*Pertentem, verbo plurima ſenſa loquar:*
*Si, quod Svaviloquens Salomonis Muſa fatetur,*
*Res huic bella venit, cui nova Nupta venit,*
*Quis Tibi Fortunæ vultum radiare ſerenum*
*Non oculi claro lumine cernat homo?*
*Dum Genere excellens, Genioq; Genisq; tenella,*
*Aſsocianda tuo traditur ecce Toro.*
*Plaudunt Pierides, complodunt undiq; Nymphæ*
*Gratatur læto cœlica turba ſono*
*Phœbi conſurgunt hilari temone jugales,*
*Sæpiùs hoc iterant ſydera cuncta melos;*
*Sit thalamus felix, exſors ſit Sortis iniquæ*
*Neſtoreos numeret Sponſus uterq; dies.*
*Oſcula mille ſonent, labrorum junctio blanda*
*Conjungat firmis pectora amica fibris.*
*Veſtros Mors atrox nunquam diſrumpat amores*
*Dum piſces pelagus, dum vehit aſtra polus.*
*Annuat ipſe piis votis his Rector olympi*
*Acclamet fiat. Fiat id omne precor.*

Fauſtæ acclamationis
ergò
paucula hæc apponebat
M. GOTTLIEB PELARGUS.

Jun-

JUngitur Eva Tibi Catharina Colasia Sponſe
Deliciæ thalami Virgo futura Tui,
Hæc tibi ſemper erit mel amabile, amabile mulſum
Hæc Te oblectabit flammeolis oculis.
Autor Conjugij firmet quodcunq; precamur
Quin majora velim, det meliora Deus.

*deproperanti calamo*
*ſed ex animo*
*imponebat*
M. Johannes Brunnemann
Col. March.

---

*Itè maritatus benè natus creditur idem,*
*Non vero abludens dicere vulgus amat.*
*Grande trahens ſecum ſponſalis pactio vitæ*
*Momentum, cauto non properanda viro.*
*Hoc tu curatâ perpendens lance, NEANDER,*
*Non aliâ poteras cautior ire viâ.*
*Cur te felici non credam ſidere natum,*
*Cuî benè procedunt jura marita tori?*
*Eſt formæ cumulata bonis, virtutibus aucta,*
*Quæ tibi nupta domum Sponſa pudica venit.*
*Virginei palmare chori decus atq; corona,*
*Tres uno Charitas pectore ſola gerens.*
*Omen adeſt fauſtum, quod voto proſequor omni,*
*Proſpera connubij fata futura tui.*
*Et tua quæ multis deſit prudentia, chari*
*Conſilio Patris robur adepta monet,*

Et

*Et Sponſæ pietas, & cuſtodita parentum*
*Cura, Patris ſplendor, Matris & ingenium.*
*Candida circumſtet thalamum fortuna jugalem,*
*Augeat antiquam prole frequente domum.*

Obſervantiæ & honoris ergò
gratulabundus sbbt.
M. JOANNES MOLLERUS CROSN.
Sch. Francof. R.

---

SPectamus formas, arridet forma puellis,
Oris ubique decor, magna eſt & gratia vultus.
Magna pudicitiæ verùm lis dicitur eſſe
Cum formâ, haut ſemper menti reſpondet ocellus.
Natales jactant alij, generisque decorem,
Antiquâ veniat ſibi Sponſa domoque precantur,
Prædicat aſt aliena, genus qui laudat avitum,
Alterius laudes nec virtus proderit ulli.
Et dotem quærunt alii, ditesque Mycenas,
Sponſa, optant, veniat multo ſpectabilis auro.
Divitis imperium ſed Sponſæ venditur auro,
Et locupletis habet nuptæ ſua jurgia lectus,
Optima dos virtus, juvenem ſi quam penes illa,
Hæc dotata ſatis generoſa & pulchra virago eſt.
Dotibus his mentis celebris doctiſſime Sponſe,
Dum tibi Sponſa venit, calamo tibi grator & ore.
Quod CATHARINA ſonat, credo, Sponſa omen habebit
Caſta, pudica, aliis nec non virtutibus aucta:

Eva auctrix generis tibi plurima pignora mater
Siſtet iiſque tuam pulchrè ceu palmite menſam
Stipabit, nomenque tuum per ſecula ſtabit.
Quod ſupereſt, veſtrum tranquillet gratia Jovæ
Conjugium, dulcem ne ſit, quod ſolvat amorem:
Jova bëet, ditet multo vos pignore, veſtra
Nec, niſi quæ proſunt vobis, mala limina tangant!

*Pro more & amore*
*ſic gratulatur*
*ANDREAS SCULTETUS*
*Scholæ Cuſtrinenſis R.*

---

OMnia, nonnè vides, ut Cypridis ille Cupido
Vincat, & ut cunctos fræno domitâſſe laboret,
Cui toties ſupplex Avus & ſtetit; ipſaq; Mater
Quem nunquam valuit prece ſupplice flectere? nempè
Facta tuâ dulcis de mente Rapina, Neander,
Hoc probat; ardenti tactumque medullitus igne
Pectus; at hæc raptam tibi chara Rapina viciſſim
Reddidit & mentem; Sic, quæ involitaverat, illa
Rettulit & pectus tibi; Terque quaterque beato
Damno, quippe ſuum, quæ condonare, Rapina,
Atque faces, facibus ferveſcere pectora amantûm
Legitimis, ſolitas nunc permutare frequentet:
Parnaſſi celebris quas tinxit Delius amne,
Quaſque faces, variis ut floribus inde vireſcant
Perpetuò, infucata Fides benè ventilat ipſa.

Ergò

Ergò tuâ, ſelix, & ab omni parte beata
Virgo, Heliconiades cinctæ Parnaſſi de lauro,
Cœlituumque cohors, ſummâ quam laude celebrant;
Namq; Animo Sponſus, ſimul & ſe CORDE NEANDER
Cui Themis alma favet, pariter quem candida morum
Gratia, quem ſollers doctrinæ gloria carum
Et ſummis imiſq; facit; tibi tranſſcripſiſſe videtur.
Gaude ſic etiam tu, Sponſe beate, NEANDER
Cui Deus hanc horam felici ſorte beavit,
Ac EVAM-KATHARAM thalami ſociavit amore,
Sic, inquam, pro ſorte novâ tua Gaudia Gaude,
Et gaudere tuum credas ea gaudia JHOVAM.
Sint, precor, à tali tandem mea vota JEHOVA;
FORTUNET Lectum Deus; & Polytecnia Tectum.

*l. mq; f.*
*ZACHARIAS KRAUSE*
*N. P. C. & Secret. Wriznenſis, Sponſi olim commenſalis & contubernalis.*

Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptistæ Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclæ in Rackow.
cum gradum Magisterij nanciscerer Decano
M. Theodoro Eberto 17 Calend. Maij
A. 1624. ætatis meæ 19.

Ito bonis avibus GEBELI, quò Deus Autor,
Quò te fata vocant, ito bonis avibus.
Magnum opus adgrederis, sed, quod tibicine fultus
Numinis ætherei, fortiter expedies.
Imbuet orantis linguam locuplete Suadâ,
SPIRITUS Orator cœlicus ille, tuam.
Seminium dissperge DEI per cordium agellos:
Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.
Et vineta DEI assiduo accubuóq; labore
Percole, quo fructûs mille, supraq; ferant:
BAPTISTAM ex cathedrâ BAPTISTA imitare tonantem
GEBELI! verâ pro pietate puta:.
Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos
Erige, confuta dogmata vera minus.
Sic vivente volent tecum partirier annos
Prospera dicentes queîs sacra dicta feres.
Sublatisq; olim manibus, sine pondere terram
Manibus optabunt, (sed bene serò) tuis,
Cùm tuba te ruptâ tumbâ revocabit ab umbris,
JOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;
Ambrosiâ rursum te pascam & nectare; quare
Magna cape astrati præmia, carpe, poli.
Hoc penitis animi penetralibus opto, precorq;
JANE mihi multo nomine chare! VALE.

Nro 827
TA-FL
ULB Halle 3
002 062 674
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-578608-p0015-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-578608-p0016-8

HONOREM

UPTIARUM

VIRI

eximiâ eruditione & in-

auſis dexteritate atq; ſolertiâ

Præſtantiſſimi,

# OANNIS

EANDRI

RCH, J.U.C. ET IN DICA-

RALI CUSTRINENSI ADVOCATI

ORDINARII,

CUM

â Pudiciſſimâq; Virgine,

HARINA COLASIA,

VIRI

Ampliſſimi, Conſultiſſimi

atq; Excellentiſſimi,

RENTII COLASII

ni, Sereniſſimi, & Potentiſſimi E-

Reverendiſs. & Perilluſtris Comitis à

mi ordinis Eqq. Joannitarum Magiſtri, &c.

æ Francof. Profeſſoris P. Nobiliſſimæ

Juridicæ Ordinarij & p. t.

DECANI

IA CHARISSIMA,

Francof. March.

L. Decemb. Anno 1634.

celebratarum

VOTIVA

natorum & Amicorum

CARMINA

---

ICHAELIS KOCHII.